



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

V. De prima tonsura.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

quippe ex  
spuriis  
canoni-  
bus hau-  
sta.

donec traheretur ad *ordinandos*, velut medium ad ministerium perveniendi, vulgatissimusque fieret. Omnium perniciosissima fuit dispensatio circa crimina. Hac præmissa, in Ecclesiam manifesti peccatores obtentu pœnitentiæ recepti, vel restituti sunt. Ratio harum dispensationum in decreto Gratiani sublestis auctoritatibus nititur. Nam prima sumpta est ex decretali Calixti I. epistola, quæ est falsissima <sup>1</sup>. Altera ex Gregorii M. Epistola ad Secundinum, quæ doctis pridem suspecta, quinque aliis hujus viri literis contraria, ac ejus ævi disciplinæ adversatur <sup>2</sup>. Postrema ex epistola Ilidori Hispalensis, dubiæ itidem fidei <sup>3</sup>. Per hanc portam denique ad clericatum pervenerunt scelestissimi homines, qui ne quidem pœnitentiam egerant, beneficiorum adipiscendorum gratia.

- 1) *Dist. 50. c. 14. 16. 18.*      2) *Gregor. I. 7. indict. 2. ep. 54. contra 3. ep. 26. l. 4. ep. 16. 17. l. 6. ep. 39. 7. indict. 1. ep. 25.*      3) *Thomass. discipl. 1. part. 2. l. 2. c. 17. n. 9. part. 4. l. 2. c. 24. n. 22.*



## CAP. V.

## DE PRIMA TONSURA.

## I.

Origo  
habitus  
clericalis,

**N**UNC ad singulos ordines deveniendum est, monstrandumque, quomodo conferantur, quibusve functionibus instructi sint. Atque ut de *tonsura* primum agamus, sciendum est, primis sæculis clericos a laicis nec capillis, nec vestibus, nec certo habitu fuisse distinctos.

Nam quum clerici a paganis semper crudelius vexarentur, quam laici, sine necessitate noluerunt hoc modo sibi mala arcessere; & Christianorum omnium externus habitus clericali modestia dignus fuit <sup>1</sup>. Libertas illa integra fuit usque ad sæculum V. Nam Cœlestinus Papa an. 428. scribit, *ep. 2.* illo tempore ne quidem Episcopos externo habitu a certis Christianis fuisse distinctos. Latini Christiani omnes habitu utebantur Romano, toga scilicet longa, capillis resectis & barba rasa. Diversus fuit barbarorum, qui imperium everterunt, cultus; vestis nimirum brevis & adstricta, capilli longi, barbaque vel promissa vel rasa. Romani peregrinum barbarorumque habitum execrabantur; & quia eo tempore omnes clerici fuerent *Romani*, pristinum cultum retinuerunt, qui *clericorum* proprius factus est. Unde contigit, ut, quoties e Francis ceterisque barbaris, qui Christiani facti, quisquam recipiendus esset clericus, huic capilli amputarentur, eique toga traderetur <sup>2</sup>. Iisdem temporibus plures episcopi aliique clerici sumserunt *habitum monachorum*, tamquam modestiam Christianam admodum decentem <sup>3</sup>. Atque hæc origo videtur fuisse *coronæ clericalis*. Fuerunt enim monachi, qui, ut se contemptui aliorum exponerent, sinciput radebant. Quidquid hujus sit, corona illa, teste Gregorio Turonensi, jam circa an. 500 in usu fuit <sup>4</sup>.

1) Thomass. discipl. part. 2. l. 1. c. 22.

2) Concil. Agath. c. 20. Marisc. c. 5. Tolet. IV. c. 41. Marc. Braccar. c. 66.

3) Thomass. *ibid.* c. 20. 21.

4) *Vita patr.* c. 17.

qui colla-  
tus cum  
cæremo-  
niis, spe-  
ciatim  
tonfura,

II. Hoc discrimine recepto, placuit Episcopis, habitum illum inter preces & solemnes cæremonias clericis conferre, ut ritus iste esset veluti *quædam præparatio* ad reliquos ordines. Et quum plerumque pueri hoc ritu ad vitam clericalem inaugurarentur; explorationi eorum sat temporis tribui potuit, donec ad ordines proveherentur. Hinc factum est, ut, qui sui commodi causa *clerici* fieri velent, sola *tonfura* contenti ceteros ordines contemnerent. Hi fuere mores eorum, qui olim *privilegia clericorum*, veluti exemptionem a jurisdictione sæculari, captabant, & nostro tempore *beneficiis* inhiant. Quorum quum nonnulla sint pinguissima, quæ etiam in simplicem clericum cadere possunt; qui ea appetunt, raro ad altiorem clericatus gradum, quam qui ad beneficia obtinenda necessarius videtur, enituntur.

quæ da-  
tur con-  
firmatis.

III. QUI tonfuram accipiunt, confirmati esse debent<sup>I</sup>. Nam ante Christianum esse oportet perfectum, quam clericus fiat. Similiter de præcipuis ad æternæ salutis viam pertinentibus veritatibus admonendi sunt, quia, qui has ignorant, *confirmari* nequeunt. Ex quo apparet, tonfuram vix septem vel octo annis minori impetiri posse, quæ in nonnullis diocesibus usque ad an. XIV. æt. differtur. Quacumque autem ætate sint, qui tonfuram postulant, ita comparati esse debent, ut non sine ratione existimari possit, eos non *lucris* causa, sed Dei amore ductos hoc genus vitæ fuisse

amplexos. Qua in indole eam accipiendam esse omnes ejus caerimoniarum indicant.

1) Concil. Trid. Sess. 23. ref. 2. 24.

IV. PRINCIPIO Episcopus circumstantes invitat ad preces jungendas & Christo offerendas pro famulo suo qui ad deponendum comas capitis sui pro ejus amore festinat, ut donet ei Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eo in perpetuum conservet, & a mundi impedimento ac seculari desiderio cor ejus defendat; ut sicut immutatur vultu, ita dextra manus virtutis ejus tribuat ei incrementa, & ab omni cecitate spirituali & humana oculos ejus aperiat, & lumen ei eterne gloriæ concedat. Quo facto canitur Psalmus XV. quo David execratur idola, Deoque spondet perfectum cultum. Interim Episcopus nonnihil capillorum abscindit iniciando, qui ex eodem psalmo recitat hæc verba: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hereditatem meam mihi:* quo ipso declarat, se mundo valedicere in solo Deo confisum. Episcopus denuo orat, ut Deus eum in caritate sua conservet immaculatum. Canitur posthæc Psalmus XXIII. quo exprimitur, quanta sanctitas in iis requiratur, qui ad domum Dei intrant.

ritus col-  
lationis  
ex ponti-  
ficali Ro-  
mano de  
clerico  
faciendo.

refectio  
crinium;


V. HIS præmissis Episcopus linea veste amicit, amictumque verbis Paullianis alloquitur, *Deus te induat novo homine, qui ad imaginem Dei creatus est in perfecta justitia & sanctitate.* Eph. IV. 24. Vestis linea ab hinc duobus sæculis, quum homines promiscue lon-

vestis cle-  
ricalis;

ga veste uterentur, clericos distinguit a laicis. Post iteratas preces, ut Deus novum clericum a servitute & ab ignominia habitus secularis liberet, Episcopus, eum in jurisdictionem Ecclesie transisse monet, acquisitis privilegiis Ecclesiasticis, adjicitque: *Cave tua culpa hæc amiseris, & Deo modesto habitu, castis moribus vitæque sanctitate, placere stude.* Ex quibus precum formulis apparet, cui fini tonsura detur, nec temere habitum Ecclesiasticum deponendum, ac aliud vitæ genus post tonsuram amplectendum esse.

officii ex-  
pers est  
tonsus.

VI. TONSI clerici nullæ sunt partes in Ecclesia, nisi *linteatus* officiis adistere velit. Potest tamen *quatuor minorum* vicibus fungi præ laicis; missam dicenti sacramentaque administranti sacerdoti adistere; curam habere cereorum, ornatusque Ecclesie. Præstat enim hæc talia a tonso, quam a laico fieri.



## CAP. VI.

DE QUATUOR MINORIBUS  
ORDINIBUS.

## I.

Offiario-  
rum or-  
dinatio  
& offi-  
cium ex  
pontifi-  
cal.

OSTIARIORUM munus in Ecclesia præ-  
sa necessarium fuit, ut aditum in Eccle-  
siam præcluderent infidelibus, qui cultum pu-  
blicum turbare, mysteriaque profanare pote-  
rant. Hi in ecclesia suum cuique locum assi-  
gnarunt; clerum a populo, mares a feminis  
separarunt, cunctisque silentium & modestiam